



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Regia Via Crvcis

Haeften, Benedictus van

Antverpiaë, 1635

Cap. V. Ex Crvce vinum spirituale.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46093](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46093)

CAPVT V.

EX CRUCE vinum spirituale.

In mundo pressuram habebitis.

Ioan. 10, 33.

*Si graue formides CRVCIS hoc torcular acerba,
Eia age, dulce bibas, quod fluit inde, merum.*



VTVMNVS erat, & vuis colligendis aut vino torculari exprimendo passim exercebantur agricolæ. Non poterat id non frequenter in oculos mentemque Staurophilæ incurrere: nam quaquauerius pergeret, vindemiam cernere erat. Comoda hæc Christo visa occasio, vt more suo fructum aliquem CRVCIS discipulæ aperiret. Ita proinde inquit: Non est, mihi crede Staurophila, quod tribulationis emolumenta luculentiùs repræsentet, quàm hæc botrorum, quam cernis, in torculari expressio, idque velim non indiligenter abs te considerari, ne sub pressurâ CRVCIS animo deficias.

Volupe mihi erit, aiebat illa, audire hoc mysterium, neque iniucundum fore sermonem suspicor de vino, quod latificat Deum Iudic. 9, 13.

In mundo pressuram habebitis. Ioan. 16, 33.



*Si graue formides CRVCIS hoc torcular acerbæ,
Eia agē, dulce bibas quod fluit inde merum.*

33. & homines. Mixta erit, inquit Christus, oratio, siue, vt ita dicam, suauis-amara; dulcedinem enim propinabit vinum, at pressuram & afflictionem exprimet torcular. Qualis qualis fuerit, aiebat Staurophila, grata erit; quia à sacro tuo ore, & de re saluberrimâ; quare tota iam audire gestio.

Principio, aiebat Christus, illud aduerte-
 re te velim, quid agatur in visibilibus torcularibus, & hoc ipsum spiritualiter agi in hominibus videbis. *Vua certè pendet in vitibus, & oliua in arboribus, pro his enim fructibus solent torcularia preparari. Et quamdiu pendet in frutetis suis, tamquam libero aëre perfuuntur: & nec oliua oleum est, nec vua vinum ante pressuram. Sic sunt & homines, quos prædestinavit Deus conformes fieri imaginis Filij sui, qui præcipuè in passione magnus botrus expressus est. Huiusmodi ergo homines, antequam accedant ad seruitutem Dei, fruuntur in hoc sæculo, tamquam deliciosâ libertate, velut vnae, aut oliuae pendentes. Sed quoniam dictum est: Fili, accedens ad seruitutem*

August. in
 Psalm. 83.

Rom. 8, 19

Eccli. 2, 1.

Dei, sta in timore, & prepara animam tuam ad tentationem; accedens quisque ad seruitutem Dei, ad torcularia venisse se cognoscat, conturbabitur, conteretur, comprimetur, non vt in hoc sæculo pereat, sed vt in apothecas Dei defluat. Exuitur carnalium desideriorum in-

tegumentis, quasi vinacijs. Vnde Paulus ait:

Coloss. 3.9 *Exuite vos veterem hominem cum actibus suis, & induite nouum. Hoc totum non fit nisi de pressurâ, propterea torcularia nominantur. In pressuris constituti ad hoc conteruntur, ut amorem, quo ferebantur in ista mundana, secularia, fluxa, peritura exuentes, passi in eis in hac vitâ tormenta, & tribulationes pressurarum, & abundantiam temptationum, incipiant*

Pfal. 9, 10. *querere illam quietem, quæ non est de hac vitâ, & sit Dominus refugium pauperi: & in hac pressurâ defluit vinum, defluit oleum, quæ sunt bona desideria.*

Desidero, aiebat, Staurophila, ô desiderium & fatietas cordis mei, prælo CRVCIS quanta quanta sum comprimi, ut bona desideria de bono corde exprimantur. Scio enim quia in torculari fructuosa pressura est. vna in vite pressuram non sentit, integra videtur, sed nihil inde manat: mittitur in torcular, calcatur, premitur, iniuria videtur fieri vne, sed ista iniuria sterilis non est, imò si nulla iniuria accederet, sterilis remaneret. Rectè dixisti, aiebat Christus: botrus enim quamdiu in vite pendet, nec in vini saporem liquatur, cui utilis est? putrescet sensim, aut à volucribus cæli comedetur. Si verò in torculari prematur, vinum defluit, & in cellarijs reconditur. CRVCIS pondere hîc premi, tribulatio-

August. in
Psal. 55.

tionibus oportet fatigari, vt anima tamquam vinum in æterna tabernacula mereatur recondi. Erras profectò, Staurophila, erras, si cogites te integram & non probè contusam, peruenturam ad cælum. *Miserere mei Domine*, clamabat Dauid, *quoniam conculcauit me homo*. Dic & tu idem cum illo: sed *noli timere, quia conculcauit te homo, vinum habeto, vna facta es, vt calceris.* * *Vt enim botri vineæ calcati ac pressi latissimum liquorem vini suo agricola atque vinitori effundunt: sic viri Dei iusti ac sancti diris cruciatibus atque pressuris hominum, botrorum instar, afflicti ac torti, per victoriam salutarem cultori Deo, mihiq̄ue caelestem latitiam de se pariunt ac promunt.*

Psal. 55, 1.

August. in
Psal. 55.* Philo.
Carpath.
in cap. 7.
Cant.

Non reformido calcari, reponebat Staurophila, modò caelestibus recipiar vasis. O quàm gloriosum erit premi! quàm dulce cruciari! modò efficiar vinum suauissimum, *dignum Dilecto meo ad potandum, labijsq̄ & dentibus illius ad ruminandum.* Sitit enim anima mea refocillare sitim æstuantissimæ animæ tuæ, Domine IESV, nostri amore languide. Meritò tu quidem id feceris, inquebat Christus, debitum enim id meo in te amori. Et ingrata prorsus fueris, amantisq̄ue nomine partem digna, si gratiam referre negligas. Quanti enim mihi stetit, vt sponsæ
meæ

Cant. 7, 9.

Ifai. 63, 3. *meæ vinum optimum propinarem? Torcular enim calcaui solus, & aspersus est sanguis super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinavi.* Ego botrus Cypri, in vineis Engaddi, botrus Terræ promissionis è CRVCIS vecte suspensus, qui spiritalis vindemiæ, passionis scilicet meæ tempore, torculari CRVCIS expressus, vinum lætitiæ fidelibus propinaui. Hoc vinum germinans virgines, * magnificentiâ regiâ dignum, * vinum verè cor hominis lætificans, vt qui illud biberit, non immeritò exclamet: *Calix tuus inebrians quàm præclarus est!* Magnum proinde non erit, si vt vicem mihi reddas, & ipsa velut vua matura in torculari conculceris, vt defluente vino potes dilectum animæ tuæ. *Para igitur te ad pressuras, sed noli esse arida, ne de pressurâ nihil exeat.*

Zach. 9, 17
 * Esther 1, 7.
 * Psal. 103, 15.
 Psal. 22, 5.
 August. in Psalm. 55.

